



P. M. QUI VESTIBVS INAVGV RATVS EST, IVRA CVM
PONTIFICE VNCTO HABVIT COMMVNIA.

SENSIT respublica Iudaeorum interitum haud ita procul abfuturum, perdita alia post aliam re, e quibus partim propensam Dei in Hebraeos uoluntatem edocebatur, partim uero felicitatis suae laetissimo sensu fruebatur. Nemo ignorat, Iudaeos acerbissime solitos deplorare tristem reipublicae statum, quo propitiatorio, nube ignis, igne sacro in altari holocaustorum, Vrim ac Thummim, ac denique oleo unktionis sacro caruerunt. Quo propius uero Hebraeorum respublica ad Messiae tempora accessit, eo tristiore cultus potissimum sacri conditionem fieri intelligebant omnes. Et uidetur sane haud ineptum de ueritate religionis Christianae testimonium e professione Iudaeorum de statu religionis suae miserrime immutato peti posse. E

SO TA ^{a)} enim Hebraeorum ingentem numerum rerum ad sacra pertinentium colliges, quas alius post alium e Pontificibus MM: sustulit. His igitur, quas res Hebraeorum perditas dicimus, inde a multis ante C. N. temporibus adnumerabant Iudaei oleum unktionis sacrum. Quo ablato multum splendoris ac dignitatis et a summo Pontifice et ab uniuersa republica recessisse animaduertebant. Caeterum, etsi auctore MAIMONIDE: ^{b)} כהן הגרול המשוח קורם למרובה כגרים. unctus Pontifex M. antecederet eum, qui uestibus tantum inauguratus erat, omnia cum Pontifice uncto communia habuit iura Pontifex inauguratus uestibus. Id quod pluribus locis testantur historiarum Iudaicarum grauiissimi auctores. E quibus duo praecipua feligemus testimonia. Alterum extat in codice HORAIOTH, siue de *Documentis Iudicum*: ^{c)} איזהו המשיח המשוח בשמן המשחה לא המרובה כגרים

D 2

און

^{a)} Cap. IX. §. 9. ad finem usque totius tractatus.

^{b)} de Vasis sanctuarii Cap. IV. f. 456. col. 1.

^{c)} Cap. III. §. 4. et Cap. II. §. 1.